

PSYCHOLOGIA EMPIRICA

CAP. I.

De Psychologia empiricā generatim.

§. 309.

QVid PSYCHOLOGIA sit EMPIRICA, traditum fuit ex mente Wolfii in logica (P. §. 58.): nimirum scientia stabiliendi principia per experientiam, vnde ratio redditur eorum, quae in anima humana fiunt.

Quid
Psychologia
empirica.

§. 310.

Quum ergo illa, quae psychologia docet empirica innotescant a posteriori (§. praec.): is, qui hanc philosophiae partem vult inuenire, practice nosse debet, quae Logica praecipit de cognitione a posteriori eruenda (Log. §. 619. sq.) Ex ipsa quoque idea experientiae (Log. P. §. 88.) satis patet, quod ea, quae ad Psychologiam empiricam spectant, per attentionem, quam adhibemus illis, quae nobis consciis in anima nostra fiunt, innotescant.

Requisita
eius,
qui
hanc vult
condere.

§. 311.